



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Tit. III. De Divisione S. Scripturæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

## TITULUS III.

## DE DIVISIONE S. SCRIPTURÆ.

**P**RIUS, quàm divisio S. Scripturæ assignetur, necessariò explicare oportet, quinam sint libri, qui, ut S. Hieronymus loquitur, in numero Sanctarum Scripturarum computari merentur; nam, teste S. Augustino l. 2. contra Cresc. cap. 31, *Salubri vigilantia Canon Ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum Libri pertineant, quos omnino iudicare non audeamus, & secundum quos de cæteris vel fidelium vel infidelium libris iudicemus.*

Porro quinam Libri Canonici censi debeant, Sacrosancta Synodus Tridentina Sessione 4. sequentibus verbis declaravit: *Sacrorum verò Librorum Indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt verò infra scripti, Testamenti veteris, quinque Moysis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdra primus & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, Parabola, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Propheta minores, id est, Osea, Iosel, Amos, Abdias, Ionas, Micheus, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum primus & secundus. Testamenti novi quatuor Evangelistarum secundum Mattheum, Marcum, Lucam, & Iohannem. Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti, & quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos Petri Apostoli duæ, Iohannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iude Apostoli una, & Apocalypsis Iohannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro Sacris & Canonicis non receperit, anathematis sit. Ita Trident. l. c. quibus suppositis, facile nunc crit divisionem S. Scripturæ assignare, utpote ab ipso jam Concilio assignatam.*



Dividitur ergo S. Scriptura receptissimâ divisione in *Vetus ac Novum Testamentum*; Vetus dicitur, quod libros ante Adventum Christi scriptos continet; Novum vocatur, quod Evangelia, aliósq; libros post Christi Nativitatem scriptos comprehendit; & in quatuor partes subdividi potest, videlicet in Evangelia, Epistolas, Actus Apostolorum, & Apocalypsin, sicut Vetus Testamentum in Historicos, Legales, Psalmisticos, Doctrinales, & Propheticos subdividitur. Rectè autem circa duplex hoc Testamentum notat Salmeron proleg. 22. in multis antecellere Novum Veteri Testamento. 1. *Propter ipsum immediatum Authorem*; nam in Veteri solum per Moysen & Prophetas; in Novo autem per ipsum Filium suum locutus est, uti & per Apostolos, qui veluti primitias Spiritûs habentes, gratiâ & sanctitate longè superant Prophetas. 2. *Propter perfectionem maiorem*; tum quia Vetus Testamentum ad Novum tanquam ad finem, qui utique perfectior est mediis, ordinatur; tum quia Novum Testamentum continet excellentiora mandata, nobiliora promissa, sanctiora & efficaciora Sacramenta, illustriora Christi & Sanctorum exempla, & majora præmia. 3. *Propter durationem longiorem*; nam Vetus ad Certum duntaxat tempus duravit; Novum autem Testamentum in æternum durabit. 4. *Propter amplitudinem*; quia Vetus Testamentum soli Populo ex Jacob descendenti datum fuerat; novum autem ad omnes nationes pertinet, uti Christus indicavit, dum Evangelium omni creaturæ prædicari iussit. 5. *Propter perspicuitatem & charitatem maiorem*; nam in Veteri omnia sub velo, umbra, & ænigmate docebantur; in Novo autem omnia aperte & dilucidè, præsertim quæ ad Christum pertinent, traduntur. 6. *Propter utilitatem*; nam quantum Nucleus Cortici, corpus umbræ, triticum nudum paleis, tantum lex nova veteri præstat, utpote in qua sacrificia egena & infirma per quæ nemo à peccati iugo solvi, Deoque reconciliari poterat.

## TITULUS IV.

## DE AUTHORE S. SCRIPTURÆ.

**E**tiam hæc quæstio non modicè conducit ad æstimationem S. Scripturæ conciliandam & augendam; quò major enim est dignitas, authoritâsq; Authoris, hoc major etiam æstima-